


# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



EDO.

t qui foedera plantis,  
egens spectacula for-  
[mae,  
enus, de semine proles  
plex agitare profundos  
n, propagine dives  
licibus, umbras.  
ors semine (namque  
as per septa reponit  
foetus educat almos)  
ris virgulta sub alti  
us fundamina; molles  
tendunt, corticis instar,  
iceus plerumque colo-  
[rem  
placide per membra re-  
[currit.  
vulgus comitetur eun-  
[tem:  
ipsa rudis, simul apta  
labori.  
demittunt strata viarum  
e, dedit quos Vesvius,  
[alti  
m, vidisse iuvabit.  
]).

eu, qui tertius post Linnaeum  
ctus ex forma, et loco, quem  
nova methodo omnia planta-  
rro, cuiusdam medici Massi-  
iam sequutus, asseruit dupli-  
i, animalis scilicet et plantae  
n Zoophyti fecere nomen. Re-  
probatur, Corallium in altero  
eri, quod Polyporum dicitur.

ORNARI, Sponsor.

LYGLOTTIS VATICANIS.

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

## Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Bre-cia, CAIRO (in Aegypto), Canile, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gargagna, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Feligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lion<sup>1</sup>, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietraneli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

## NUMMARIAE MENSE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro anno 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; *c)* parsimoniae fovendae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutent subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b)* mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emititt ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exteris numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g)* res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. - Lib. 1.

00.000.000

riis aedibus  
ello)

## civitates:

i di Montecatini, BARCELLONA (in  
Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gar-  
Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano,  
Aondovi, Monsampietranelti, Mont-  
Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tar-  
, Velletri, Viareggio, Viterbo.

## ET NEGOTIA.

accipit: a) iuxta quotidianas  
tate quotidie exigendi usque  
n quatuor, lib. 50.000; pro  
tationibus pariter quotidianis,  
x; 4 1/2 %, si mensium duo-  
cum facultate quotidie defe-  
De maiore vero summa man-  
usque ad lib. 5000; ad dies

compensat duarum person-  
olvendas; idque pro omnibus  
formam, iuxta italicam legem  
requirentibus subvenit; c) in  
residio fundorum publicorum,  
d) litteras emittit ex credito  
ma aguntur; e) exteros num-  
custodiam accipit, pro iisque  
es administrat tum consocia-  
riae sunt.

## E,, Sociis

scripta venum dantur,

prandum, Milesiae  
eile agendis. - Singulaevi flores. - Si tegu-  
eoque titulo, lib. 2,25.  
am, Actiones drama-Milesia fabula. - Lib. 1.  
s. - Lib. 1.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2,40;  
march. 12; rubl. 5; sh. 10; peset. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FOR-  
NARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

## MONITA

*Ut alias iam egimus, per hunc Novem-  
bris mensis fasciculum, quem speciminis  
gratia late diffundimus, subnotationem  
extraordinariam indicimus pro iis, qui  
ad societatem nostram sint ultra accessuri.  
Hi profecto ab hodierna die ad expletum  
annum MCMXX Alma Roma commenta-  
rium habebunt immutato subnotationis an-  
nuo pretio, quod est in Italia libell. 9,  
ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2,40;  
march. 12; rubl. 5; sh. 10; peset. 12),  
ante solvendum rectoque tramite mittendum  
ad JOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum,  
Litterarum Iurisque Doctorem, Romam,  
Via del Governo Vecchio, 96.*

*Si quis autem integrum commentarii  
collectionem cupiat, cuius nonnulla exem-  
plaria habemus, mittat si in Italia libell. 57,  
extra Italianam libell. 75, vel aliam summam  
iis aequantem, fasciculosque omnes qui a  
mense Maio MCMXIV vulgati sunt, et  
ad Decembrem mensem MCMXX prodib-  
unt, per publicum cursum accipiet.*

*Neque inutile erit in mentem revocare  
pecuniae traditionem facile fieri posse sive  
per publici cursus mandatum, sive per syn-  
grapham apud aliquam nummariam men-  
sam Romae exigendam; sive etiam per  
commissionem apud extera in Urbe Semi-*

*naria et Collegia, in quibus omnibus  
clientes adnumeramus.*

*Confidimus fore ut sollicitudini nostrae  
multorum favor respondeat; eritque vel  
maxime si, qui in societatem nostram  
adlecti iam sunt, nomina virorum aliquot  
nobis pro sua humanitate indicaturi sint,  
quibus Almae Romae specimen non sine  
felici exitu tradere possimus; quod quidem  
etiam atque etiam rogamus.*

*Rogamus pariter illos, - neque eos heu!  
paucos - qui nondum subnotationis pretium  
solverunt, et praesertim qui, per bellum,  
morae causam hanc adduxerunt, haud in  
tuto esse tunc temporis pecuniam e lon-  
ginquo mittere, velint tandem rationes  
suas nobiscum exaequare.*

*A sociis denique, ad quos eodem belli  
tempore impossibile fuit ex Italia commen-  
tarium mittere, at Almae Romae tradi-  
tionem vix publicus cursus redintegratus  
est, resumpsimus, ut studium et gratiam  
suam nobis renovent enixe petimus; secus  
fasciculos tabellario reddant; quod sine  
ullo impendio iis erit; notum enim cuique  
est, quae a publico cursu tradita recusentur,  
gratuito ea ad mittentem restitui. Quod si  
ante currentis anni exitum hoc facere pae-  
termiserint, sciant profecto tamquam redin-  
tegratam subnotationem haberi.*

ALMA ROMA.

## DE THEOSOPHISMO

Prodiit, die XVII superioris mensis Iulii, et relatum in paginas ALMAE ROMAE est,<sup>1</sup> decretum S. Officii hac de re: « An doctrinae, quas hodie theosophicas dicunt, componi possint cum doctrina catholica; ideoque an liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere ». Eñi ac Rñi Domini, praehabito DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt: *negative in omnibus*.<sup>2</sup>

Quod decretum ut intelligatur et vindicetur, satius erit brevem doctrinarum theosophicarum conspectum exhibere, illasque cum doctrina catholica conferre.

Vox ipsa, ex sese, nec piorum aures offendit nec inepta censeri debet: *θεοσοφία* quippe audit vel divinam sapientiam vel praestantem divinarum rerum cognitionem; et *θεόσοφος* ille censetur, qui est in rebus divinis sapiens, seu versatus et eruditus. Qua acceptance rectissime potuerunt nonnulli ex nostris scriptores vocabula *theosophiae* et *theosophi* efferre, sicut et nomine theologi gloriari.

Verum alio et pravo sensu hodie accipitur. Sicut enim veteres gnostici vocabulo *gnoseos*, seu scientiae, abutebantur, ita illi qui theosophico systemati exstruendo navant operam, theosophiam seu divinam sapientiam intelligunt quandam antiquam, universalem atque *occultam* sapientiam, quae Deum cum homine et mundo confundit.

Tametsi error ille innumeratas induerit et induat formas, omnes tandem ad pantheisticam formam reducuntur. Societas autem theosophica praecipuos antesignanos habuit mulierem Blavatsky, ex Russia oriundam, Americanumque Olcott; a se-

cretis erat Leadbeater, qui fuit, ultimis hisce annis, propter mores in crimen vocatus.

Impetunt theosophi fundamentalem doctrinam de Deo vero, uno, personali, rerum omnium conditore: *Nous rejetons l'idée d'un Dieu personnel et extracosmique*.<sup>4</sup>

Inde sequitur omnia esse Deum, imo spiritum et materiam in unum coire et idem prorsus esse: *D'après nos enseignements, l'Esprit et la Matière sont identiques*.<sup>5</sup>

Inde etiam evertitur dogma SS. Trinitatis; sed Trinitas sensu theosophico non est nisi quaedam intellectualis seu gnostica manifestatio infinitae et *impersonalis* unitatis.<sup>3</sup>

Eodem pacto perimitur catholicum dogma creationis ex nihilo; nam, iuxta theosophos, ex nihilo nihil fit, sed totum est in toto et omnia in mundo sunt unum, aeternumque ac infinitum.<sup>4</sup> Nec remanet doctrina de homine, de libertate, deque actuum humanorum regula et ultimo fine; siquidem substantia universalis, per varias formas transeundo, fit homo; seu potius genus humanum est una eademque essentia infinita, increata, Deus ipse; ita nempe ut aeterna substantia sese evolvat et iterum per circulum ad seipsam redeat, vi quadam mirabili quam vocant virtutem *evolutionis* et *reinvolutionis*.<sup>5</sup>

<sup>1</sup> BLAVATSKY, *La Clef de la Théosophie*, p. 88.

<sup>2</sup> Ibid., pag. 43.

<sup>3</sup> COURMES, *Quest. théos.*, p. 11.

<sup>4</sup> Theosophorum placita in multis scriptis tradita sunt, ac praesertim in his, quae sequuntur: BLAVATSKY, *La doctrine secrète, synthèse de la science de la religion et de la philosophie. - La Clef de la Théosophie*, traduit de l'anglais par Mme DE NEUVILLE; ANNIE BESANT, *La sagesse antique*, Conférences; COURMES, *Questionnaire théosophique élémentaire*; CHATERJI, *La philosophie exotérique de l'Inde*; necon in variis periodis, praesertim, in lingua gallica, *Le lotus bleu*.

<sup>5</sup> Cf. opp. cit.: BESANT, p. 41, BLAVATSKY, p. 14, 63, 90.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. VIII-IX.

<sup>2</sup> Acta Apost. Sed., vol. XI, p. 317.

Hinc pariter evacuatur totus ordo supernaturalis, quem nihil iam concipiatur quod vires et exigentias hominis excedat, sed omnia quae esse possunt homini debantur. Nec possibilis remanet oratio, quae est *ascensus* mentis in Deum; at potius anima ad seipsam reflectitur in toto illo universali, quod vocant Deum et Patrem omnium.

Quae omnia directe excludit Concilium Vaticanum.<sup>1</sup>

De Incarnatione et Christo nonnisi blasphemant et impia proferunt theosophi.<sup>2</sup> Distinguunt Christum universalem et Christum singularem. Christus quidem universalis consideratur aut in statu *involutionis*, sicque est Verbum incarnatum in universo per latentem sui immersionem ac veluti immolationem, aut in statu *evolutionis*; iamque est *eductio* eiusdem per varia rerum stadia usque ad perfectum consoritum ac connubium spiritus cum Absoluto.<sup>3</sup> Christus autem singularis est Iesus historicus, quem inter summos theosophos ac magistros, sicut illum Budha, reponunt. Unde absolute negatur Christi divinitas, seu « personalitas » proprie divina.

Redemptionis quoque dogma, quod peccatum originale supponit et reparat, theosophi pessimum, tum quia nec labi potest genus humanum, quod essentia divina et aeterna adstruitur, tum quia actibus puri hominis, qualem fingunt Christum historicum, inesse nequit vis illa piacularis, quae delicta mundi delectat et abstergat.

Dum autem perimitur redemptio, et sacramenta et gratia excluduntur, immo et tota christiana oeconomia subvertitur; deinde et nostra dogmata convelluntur de novissimis, nempe de immutabili morum sanctione, de morte, iudicio, inferno, cor-

<sup>1</sup> De Deo rerum omnium creatore, can. 1-4.

<sup>2</sup> Cfr. BLAVATSKY, p. 88.

<sup>3</sup> Cfr. CHATERJI, op. cit., p. 132 seqq.

porumque resurrectione; nam iuxta illa placita, tota expiatio aut retributio futura reponitur in novis ac indefinitis transmigrationibus seu « reincarnationibus » in nova corpora. Quae omnia, non solum fidei, sed et sensui hominum communi vim inferunt.

Haec porro somnia vitabunt catholici, si mente recolant et cordi alte figant definitionem concilii Lateranensis IV: « Redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam electis; qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, QUAE NUNC GESTANT, ut recipient secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam ».<sup>1</sup>

Merito itaque damnantur illi, quibus recolenda forent verba Psalmistae: « Narraverunt mihi FABULATIONES, sed non ut lex tua; » et verba S. Pauli: « Quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ».<sup>2</sup>

Quibus breviter expositis, manifeste liquet non posse catholicos nomen dare societatibus theosophicis, nisi deserendo dogmata nostra; nec idcirco licere earum conventibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, scripta legere.

Relinquant doctrinas et opera tenebrarum illi quotquot vocavit et transtulit Deus in admirabile lumen suum.

EDUARDUS HUGON, O. P.

<sup>1</sup> Cap. Firmiter, DENZIGER, 429.

<sup>2</sup> Rom., I, 21.

Publica praferenda sunt propriis; et ibi intelligenda est praecipua utilitas, ubi vigilat cura communis.

LEO P., Serm.

**Franciscus Tranquillinus Moltedo**II.<sup>1</sup>

In Florentino Barnabitarum collegio, ubi mansit ab anno MDCCCLXXII ad annum MDCCCLXXXV, atque iterum ab anno MDCCXCII ad MCMI, Franciscus Tranquillinus Moltedo litterarum studia maxime agitavit, maximaque sapientiae suae specimina edidit. Illic enim gallicas, italicas latinasque litteras docuit, summaque industria sive soluta oratione sive versibus scripsit, ut dici possit nullum extitisse, sive domi sive extra, eventum, sacrum aut profanum, quem ipse non celebraverit. Ut ad latina eius carmina me referam, primum illud elegiacum occurrit, quod *Reditus in patriam inscripsit*, fuitque anno MDCCCLXXV in certamine poetico Hoeufftiano Amstelodamensi magna laude ornatum.

Poëta Neapolim suam, a qua diutius aberat, revisit; iam ei

*ante oculos Vesuvino e vertice fumus,  
Et se Summani pandit imago iugi!  
Iam video vitreis Capreas adsurge: e ab undis:  
Atque etata mari tam mictat Aenaria.  
Eminus accipio sonitus: clamosa loquela  
En iterum nostrae carmina me recreant!  
O patria, o qualis lacrimis me tangit obortis,  
Pertentans reducis pectora, lactitia!*

Flet utique; sed quantum fletus hic a gemitu exstat diversus, quem una cum *anicla parente*, fratribus atque sororibus effudit, quum iussus cara linqueret litora! Nunc dulces lacrimae ora rigant...

*Et iam rheda rapit cito mea tecta petentem:  
Qua data porta, rotans effugit ante alias.  
Quis rumor! longas geminans prope forculta voces  
Venditor ad merces comis adire iubet.  
Sarcinae iter rhedae impediunt, piscaria, plastrula;  
Garrulus ad mensam quisque propola suam.  
Rumpe moras, da lora, puer, voce utere: merces  
Nec deerrit; quassa fortius o scuticam,  
Carpe viam interior; sunt haec compendia nobis;  
Vita, flexus adest: hinc cave, amice, rotas.  
Iam satis, exerra dester, moderatus habenas  
Nunc revoca; merces haec tibi pacta, vale.*

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

Qui Neapolim aliquando adiverit, testari potest an singulares illius civitatis mores, quibus advena profecto percutitur, ad vivum paucis versibus fuerint effecti; quisque autem nostrum anxie per rhedam petens aliquam metam, easdem voces, eadem consilia aurigae dedit, quae poëta tam eleganter tantaque simplicitate, strictis licet numeris, exprimit.

Redux inopinus adventat; famulos rogit res lateat; ipse enim loquetur; sed tacite euntem pia mater conspicit, et

*Amplexu trepide me tenet exsiliens.  
Oscula multa damus, . . . .  
Alter et alterius nomina saepe vocat.*

Tum nuncia fama laeta volat reditus; accurunt, puerum coetu comitante, sorores; et

*Iam properant fratres, nec minor his suboles.*

Puerili tumultu atria miscentur:  
*Venit io patruus! pueri repetuntque puellae*  
et se glomerant, vocitant,

*tenduntque tenellas  
Implacidi palmas, subsilente pede;*

tamque patruum premunt, ut hic eos obtestari cogatur sibi parcant. Frustra tamen; quid si munuscula distribuat, quae pro singulis attulit? Narratio iucundissima lectu est. Loquitur patruus:

*O pueri, modo vos stetis, iam discite dona ...  
Incipio: en iterum murmure tecta strepunt.  
Credite, amabo, mihi, nemo haud donatus abil;  
Ore fave, pubes garrula, mitte queri.  
Eia age, prima tene mihi tu dulcissima neptis,  
Nominis et aptentur, quea fero dona, tuo.  
Stat tibi baca rosam duris imitata lapillis,  
Quas una Arni gens accolat mittit opes.  
Nec mora: nigra oculos, crines Rosa nigra fluentes  
Prima venit; quantus ridet in ore decor!  
O merito dilecta mihi! discedere flebas  
Tu patruum, memini: teque, puella, prece  
Sollicita accepi quoties properasse morantem!  
Expectatus adest: mi Rosa cara, tene.  
Olli virgineum nectit mea fibula pectus,  
Laelaque, prospiciens dum strepit agmen, abit.  
Accelerant pueri: gestit prior ille videri,  
Cui nomen feci primitus ipse meum.*

*Iconia (haec etiam medicatae chartulae imago,  
Quam rite exceptit sole invante vitrum)  
Ille mea contentus abit: tunc ordine doma  
Accipiunt alii, dulciola, effigies.  
Tres alia accedunt pudibundae parte puellae,  
Tres haec iure pari, deliciaeque mihi,  
Os unum, color unus inest, atque aurea passim  
Tortilis attudens colla per alba coma.  
Mane novo sic mixta rosis colludere cernis  
Lilia, sic tremula sidera luce micant.  
Hinc Helenilla manus atque hinc dat Linda sorori:  
Ecce Melaniola pes quoque signat humum.*

Melaniola vero, patrui nescia, contremiscit; dat patruus ei, in suum gremium exceptae, ludere; sed incassum blanditur; querula ad patrem vocatum fugit.

*Illi ad gemitus puer alter, quem altera dulce  
Ubera sugentem fratria gestat alens,  
Obtutu adsurgit placido: illi credulus asto;  
Ut videt, adspectu territus ora legit ...*

Evidem ex pueris fortuna haud suffragatur poëtae! Illa saltem die reditus; non enim revelat nobis quid in posterum fuerit, ubi ad nepotum ludos is venerit, quibus sese commixtum spoponderat, hora composita. Explicit namque elegia dum absedit cognata cohors, ipsique personat aures

*Cras longumque vale, pube abeunte, vale.*

Quarto anno post, alia adscribenda est o quam arguento diversa, sed disertissima item *de victima Vesevi elegia*, in qua adscensus in illum montem describitur puellae cuiusdam, Elisae nomine, cum matre et sponso; ecce autem ex improviso mugire solum, tremere intima montis antra, fumea nubes, pino simillima, mille glomerare globos; labi iactus ab ore cinis; ignis unda fluens clivum vorare... Inter victimas ab ignivomi monstri rabie immolatas Elisa est, quam immo Vesevus sibi servavit: nullum enim de ea vestigium deinde est repertum! Infelicem hunc casum narrantem poëta miseram ipsam Elisae matrem inducit, cuius concitatam atque miserabilem vocem qui audiverit, vix a lacrimis temperet.

Altius vero Moltedi flamen assurgit in elegia, quae est *de proelio ad Leunianum*: ibi enim religionis et patriae amor amplissime consociantur: atqui poëta nostro Omne hinc principium; non hinc inglorius ullus Occidit, aut pavido cum duce terga dedit.

Hinc

*Disce recens soboles, veteres oblita parentes,  
Qua sibi miles opem strenuus artè pareat,  
Barbaricam quae mox rabiem, instantisque tyranni  
Proteret immanem saeva per arna gregem,  
Procubuit suppplex, demisso et vertice ad aram,  
Multa movens, acies se vovet ante Cruci.*

Sed ipsum proelium proprius inspiciamus:

*Rumor it: Hostis adest, socii Crucis adeste. Repente  
Quadrigus fertur Currus in arva gemens.  
Tela volant: socii circum pro turribus adstant,  
Ictaque fulminea cuspide scuta sonant.  
Stricta immota acies, iterum exceptura ruentes,  
Nunc pede congressos, nunc fugat acris equo.  
Instat adhuc, si forte queat contingere plastrum  
Hostis, ubi gladiis ferreus horret ager.  
Ter conata phalanx germana: ter inde recessit  
Versa retro, aut moriens ore monordit humum.  
Pulvere miscetur campus: Crux eminet una,  
Et procul adverso sole cadente micat.*

*Quadrupedum vi pergit iter sacra machina, sternens  
Pondere tarda, vias dum secat, examines.  
Sic medios olim visa est incedere in hostes,  
Plena Deo, Isaciis et stetit Arca salus.  
Vos nitidi colles et grata Insubribus arva,  
Quae tremula assiduo murmure oberrat aqua,  
Vos caedis, sociale feros quin contudit hostes  
Agmen inoffensum, conscientia testor adhuc,  
Qui non barbarico vos inter sanguine gurges  
Decolor? intactae sanguine quae segetes?  
Et monstrum fatale ducem dare terga fugacem,  
Ut damnam, retro quam citus urget aper,  
Ultima per vestros viderunt invia saltus  
Et pavidae excisae rupis adire latus.*

Sed non hinc tantum noster religionis patriaeque adsertor et vindex nobis obicitur; eadem quam vidimus in hoc carmine affirmatio, in ode redit, qua *Alexandria* urbs prope Tanarum celebratur:

*Atqui adhuc arcis, Tanari sub oris,  
Primitus Iudis positae cruentis,  
Vindicem nobis memorant, decori  
Quo duce pridem  
Insubres saevum socii tyrannum  
Teutonum nostris pepulere terris.  
Libere, strictis gladiis, voventes  
Pectora morti.*

*Fertur, addictus nimium potenti,  
Caesaris uomen posuisse coetus  
Arcibus: sic nunquam iterum auspicatum  
Ferre dedissent!*  
*Heu nefas! istinc veniens (nec unquam  
Hoc erant nostri veriti priores)  
Ire deictum solium Parentis  
Vidimus agmen.  
Barbaras Romam populasse turbas  
Scimus: in Romam Cruce gloriantes  
Milites aevum venient tulisse  
Signa negabat.  
Nomen ast Urbi Tanari supersit:  
Inde te saltem pudeat doceri,  
Degener quam sis pietatis, aetas  
Nostra, paternae.*

Redit pariter in heroicis *Vaticanum*,  
quum dolenter memorat quantam  
*Coniurata manus cladem altariaque thronoque*

moliatur; atque in elegia *de simulacro sancti Francisci*, Ioannis Duprè eiusque filia opere, *Assisi erecto*, ubi poëta clamat:  
*O Pater, acciti quoniam per rura, per urbes  
Convenere pii, laetitiaque fremunt  
Patris in adspectu tot iam post saecula nepotes;  
Si modo caelicolas vincit amor patriae,  
Volve oculos, agnoscere memor simul ora tuorum:  
Ah sine quisque vetus sentiat eloquium!  
Inspice, quae circum iucundo lumine vestit  
Sol, tua cura, novo florida vere inga,  
Ut redditu laetentur adhuc: tua sidera, solem,  
Prata, Pater, risu iam dicidisse licet.  
Hic olim resonare Deum secreta docebas,  
Nec mortale sonans, antra, vireta, nemus.  
Versibus alternis tecum ales plaudere dulcis  
Gestit hic; tecum turtur et ingenuit.  
Disce rosas; quam mira manent vestigia pugnae!  
Te fons, sollicita te prece tempta vocant.  
Iam tu, quo veluti reditivo iactal alumno  
Se, Francisca, vetus patria, festa novans,  
Attollens hinc inde oculos, si forte ruent  
Videris in præcepis qui tibi vota damus,  
O dextram protende tuam! Te, Sancte, nepotum  
Tangat honos; Italis fausta precare tuis.*

Quae quidem obsecrans suus omnino Moltedo mihi videtur: spiritus acer, promptus, ad sublimes animi formas tendens, pro iisque flagrans; haud vero temere atque incaute; quin immo suavitatem fortitudini admisceens; unde omne fert punctum qui non frustra morum formator et magister apud suos fieri cupit.

(Ad proximum numerum).

I. F.

## ARCHÆOLOGICÆ RES

### De ritibus funerariis nonnulla.

Qui superioribus annis, redeunte mense Novembri, fidelibus defunctis sacro, de ritibus funerariis ac de sepulcris scripsi, addere hodie nonnulla volui, quae alicuius momenti fore confido: placet enim aliquam comparationem inter ethnicos et Christianos mores de re instituere, illud revocans Augustini: « Quum a daemonum misera societate sese animo separat, debet ab eis accipere Christianus ad iustum usum praedicandi Evangelii vestem quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tantum accommodata humanae societati, qua in hac vita carere non possumus; accipere atque habere licuerit in usum convertenda Christianum ». <sup>1</sup> Ex quibus apparet mores ritusque ethnici atque christianis communes, haud ab una natura fuisse inductos aut servatos.

Ex his imprimis occurrit defuctorum corporum lotio, quae diutius a Christianis scriptoribus commemoratur, ut a Gregorio Magno <sup>2</sup> et Gregorio Turonensi. <sup>3</sup> Tertullianus autem de ea per iocum scripsit: « Non lavo sub noctem Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam; attamen lavo et debita hora et salubri; quae mihi et calorem et sanguinem servant; rigere et pallere mortuus possum ». <sup>4</sup>

Unctio pariter cadaverum aromaticis oleis, balsamis, unguentis apud Christianos pariter permansit. De qua pariter ethnici deridens, loco citato Tertullianus: « Thura plane non emimus: si Arabes queruntur, sciant Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepieliendis profligari quam diis

<sup>1</sup> *De Doctr. christ.*, II, 40.

<sup>2</sup> *Homil. de sorore sua vita functa*.

<sup>3</sup> *De grat. confess.*, 104.

<sup>4</sup> *Apol.*, XLII.

fumigandis ». Unde colligitur magnam quidem balsamorum copiam in cadaveribus Christianorum perungendis adhibere solitam. Inventa etiam sepultra sunt, quorum arcosolium foraminibus instructum sit. Ad quid foramina huiusmodi? Protecto ad oleum vel balsamum per ea infundenda, ne cadavera, iterum iterumque aromatibus condita, vel minimum foetorem exhalarent. Immo vero probabile videtur vasa ipsa et ampullas, quae saepe in catacumbis saeculi quarti et quinti ad loculos affixa invenimus, iis exceptis quae martyris sanguinem continerent, huic adspicendi usui inserviisse.

Cadavera enim - quemadmodum inter omnes constat - non in capsis, ut nunc sepeliebantur; sed linteis, sindonibus tantum involuta; aliquando etiam, Hebraeorum more, fasciis constricta. Martyrum autem corpora plerumque Phrygiis vestibus involvabantur. Refert Eusebius, corpus S. Marini martyris ab Asterio senatore pretiosis vestibus velatum fuisse: « Asterius etiam, vir e senatorum romanorum numero.. S. Marini martyris cadaver tollit, splendida et pretiosa ueste obtegit, atque humeris impositum inde deportat, quod quum magnifico et sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulcro condidit ». <sup>1</sup> Qui autem in catacumbarum studium incubuere, ut P. Marchi, De Rossi, Armellini, Wilpert, Marucchi, Scaglia in suis operibus testati sunt se et stamina aurea apud martyrum cadavera reperisse, aut saltem vidisse. Quod si apud Romanos triumphales viri togis auro intextis post mortem induebantur, <sup>2</sup> nonne martyrum corpora conveniens erat pretiosioribus vestibus, trimphantium more, amiciri?

Saeculo autem p. C. IV si cadaverum unctio in usu esse desiit, et tantum adspergi cadavera in more mansit balsami stillis

<sup>1</sup> *Lib. Hist.*, VII, 14.

<sup>2</sup> *Polyb.*, VI, 51.

et myrrae, quemadmodum testis est Prudentius:

*Aspersaque myrrha, Sabao  
Corpus medicamine servat,* <sup>1</sup>

mos, ex adverso, pretiosis tegumentis involvendi cadavera in abusum cessit, et inanis fastus religionis locum occupavit; de quibus conquesti merito sunt Patres. <sup>2</sup>

\*\*

Monilibus quoque cadavera ornabantur, quamquam haud consulto; verum, ut etiam nunc fit, annulo, aliove diurne gestato ocello non privabatur defunctus, qui cum eo sepeliebatur.

In sepulcris saec. V non raro numismata, crucis, reliquiarum capsulas, aliaque, quae a collo pendere possent, invenerunt. *Encolpia* graeco vocabulo dicta vulgo haec sunt, quae et dum viveret defunctus ad collum gestabat; quaemadmodum nos adhuc soliti sumus.

Parva porro supellex in Christianorum sepulcris invenitur, quamquam raro alicuius pretii; maioris autem in Orientalibus sepulcris. Sunt plerumque vasa vitrea aut fictilia eiusdem prorsus generis atque in Romanis sepulcris reperiuntur; eaque interdum extra sepulcrum fixa; an ad flores recipiendos?

Cum infantibus aliquando pueriles deliciae, pupae, tesserae, taxilli, tintinnabula aliaque id genus crepundia condebantur. Id apud Christianos quoque usitatum videntur; non quidem quia, ut ethnici, putarent etiam post mortem hisce oblectamentis gaudere illos posse; sed, ut evenit adhuc nostris diebus. Scilicet defuncti corpus imaginem viventis praebet suis, et ab his, quasi semetipso fallere voluntibus, veluti vivens consideratur; quod omnino in hominis natura est, qui animo potius quam menti familiam diligens, mo-

<sup>1</sup> *Cathem.*, hymn. X.

<sup>2</sup> Cfr. e. g. S. AUGUST., in *Ps.* 48.

rem gerit. Haud vero credendum est veteres Christianos ab omni vel minima superstitione immunes fuisse; amuleta enim, tesserae aliaque id genus in sepulcris inventa, in Orientalibus praesertim regionibus, contrarium aliquatenus indigant. Ceterum mos erat apud ethnicos Orientis populos idolum aliquod sive tutelaris numinis simulacrum iuxta defunctos ponere, quod apud interos iis faveret. Quid mirum, si recens ad Christi fidem conversi, rudes praesertim et ex servorum genere, quibus inter ethnicos degendum ethnicisque serviendum erat; quid, inquam, mirum, si nonnihil de priscis superstitionibus retinuerint?

Sed praeter vasa, de quibus mentionem fecimus, et etiam lampades, res aliae apud sepulcrum affixae invenimus, eaque dupli, ut creditur, causa: aut quo veluti signacula et ornamenta essent, ut conchae, annuli ossei, musivi operis taxilli, numismata et omnis generis frustula; aut ad aliquam significandam cum defuncto congruentiam, sive propter eius dilectionem dum viveret, sive propter eius post mortem statum.

\*\*

Restat ut pauca de praecipuis officiis dicamus, quae pie a Christianis praestabantur defunctis, quaeque a S. Ioanne Chrysostomo his verbis continentur: « Exinde quum reddiderit puer animam, quemadmodum desiderant, iubent parentes officia adhibere: manus componunt, oculos claudunt, caput directe statuunt, pedes reducunt, lavant, sepulcro condigno, dignis funeribus, condunt. <sup>1</sup>

De elatione corporis dicere sit satis, et eam plerumque noctu apud Christianos fieri solere, paganorum superstitionis caussa, qui pompam funebrem, sole luce, urbem profanare putabant; idque

lege cautum erat.<sup>1</sup> Cadavera autem ad sepulcrum deferebantur cum cereis, comitatu, psalmorum cantu aut recitatione. Vehicula quoque adhibebantur binarum rotarum, *carrucae* sive *birotae* vocata, aut etiam *sandapilae*, quae proprius pauperum vehicula fuere; unde nomen *sandapilarii* ei, qui cadavera efferret, aut etiam *lecticarii*, a *lectica*, quae, licet ad vehenda divitium feretra antiquitus adhiberetur, temporis cursu, ac praesertim post pacem Ecclesiae, nomen sandapilae apud Christianos usurpavit. Scimus Constantimum, quum Byzantinam sedem instituisset, ecclesiae illius civitatis corpus lecticariorum sive « decanorum » nongentorum quadraginta designasse, qui eodem fere munere fungerentur atque nostris diebus « confraternitates ». Postremo *fossores* sive *copiatae*, - ii scilicet, qui loculos parabant et corpora condabant, - cadavere in sepulcro deposito, preibusque peractis, calce, si ad cohibendos putores opus esset, cadaver cooperiebant, deinde loculum tabulis marmoreis vel testeis claudebant, calce pariter in commissuras inducta.

Apud ethnicos plebeiorum pauperum corpora, pro quibus nihil omnino solvi ad funus poterat, *vespillonibus* humanda relinquebantur: quod officium quum vilissimum putaretur, qui illud gerebat despici omnibus erat. Sic Suetonius, ut quanta ignobilitate Domitiani cadaver fuisse sepultum exprimeret, scripsit: « Cadaver eius per vespillones deportatum ». Atque de eodem Imperatore Eutropius: « Funus eius - ait - cum ingenti dedecore per vespillones exportatum et ignobiliter sepultum ». <sup>2</sup> Ex adverso nobilissimum et

<sup>1</sup> Cod. Thodos., IX. 27, 4.

<sup>2</sup> In civilibus perturbationibus Graccorum tempore excitatis, constat nobilium factionem, lata de populibus victoria, praecepsisse ut Tiberii Gracchi eiusque amicorum corpora in Tiberim proicerentur; illi vero qui mandatum adimplendum curaverat, aedili nempe

misericordiae officium apud Christianos erat mortuos sepelire, neque igitur parvi aut minoris habebantur fossores, qui tanto munere perfungebantur.

\*\*



### De recenti certamine poetico Amstelodamensi

Exitum huius certaminis iam nuntiavimus superiore mense Iunio, edita recensione latina a iudicibus ad nos humaniter transmissa. Ibi tamen quum de plerisque carminibus nudus titulus allatus sit, arbitramur rem gratam nos facturos lectoribus, si hic, latine redditam, at enuntiatam brevius, amplam referamus iudicum recensionem, neerlandice scriptam, nobisque nuper traditam. Hi autem erant iudices: J. van Wageningen, J. J. Hartman et J. van Leeuwen.

En igitur de XXXV carminibus, uno praetermissio, cui requisitus versiculorum numerus deerat, censorum sententia.

\*\*

Carmina XI, ob graviores, cum in re, tum in forma errores, continuo seposita fuerunt et reiecta, nempe:

N. 33. *Sub prima luce*, opus tironis, mendis scatens.

N. 3. *Egregius victor*; horridi versus in laudem cuiusdam Josephi.

N. 5. *Aranea et nati*, fabula Aesopica, sed infinita et lignicis structa senariis.

N. 9. *Expectantes Dei iudicium*: quo in carmine memorantur innumerae bellum recentis victimae, extremo die in vitam revocandae. Versibus deest dignitas; abundant vero menda grammatica.

Lucretio, vespillonis cognomen plebs, vituperationis caussa indit, et exinde est vocatus *Lucretius Vespillo*.

N. 18. *Et nunc reges intelligite*; quo carmine imperantes ad feriendam pacem invitantur. Inconciini sunt versus et obvoluti, nec raro in metrum peccant.

N. 34. *Post bellum Europaeum*. Obscura elucubratio quae, etsi pluries emendata, haud facilem praebet sensum.

N. 14. *Saltus Caprearum*; ubi agitur de imperatoris Tiberii saevitate. Versus duri et incorrecti.

N. 1. *Poëta miles*. Cantatur poëta d'Annunzio versibus alcaicis, rigidis tamen et minus aptis.

N. 31. *De Baccho inimico*. Ex sententia auctoris, Bacchus iam, absoluto bello, maximus superest hostis; argumentum tamen nec feliciter nec idonea forma evolvitur.

N. 19. *Cornix in Capitolio elocuta*. Mortuo imperatore Domitiano, cornix in Capitolio haec verba fertur pronuntiasse: ἔσται πάντα καλώς: quod felix omen auctor post bellum orbi praecinit. Versus tamen, etsi hominem produnt satis exercitatum, frigidiores videntur.

N. 10. *Tristia*. Ibi horrores belli describuntur et odia inde exorta. Versus rite construuntur, verum colore et calore carent.

\*\*

His carminibus alia succidunt XVIII, multo quidem laudabiliora; non tamen ita, ut sumptibus legati Hoeufftiani in lucem edantur. Sunt autem:

N. 23. *Ad sodalem de hodierno conflictu*. Carmen est senis, oculis capti, de recenti bello. Versus recte fluunt, sed altior desideratur inspiratio.

N. 4. *Ad Marcum epistula*. Huius poëmatis prima pars vitam rure actam satis amoene describit; altera, inscripta *Pro discipulo votum*, videtur esse prioris dedicatio, estque in hoc humili genere satis concinna.

N. 8. *In simiae amatores*. Dialogus inter hominem Italum et duos Anglos de placito Darwiniano. Mens erat auctoris scribere

satiram, quae tamen parum salis continet.

N. 21. *Imago matris*; quo carmine auctor teneriores prodit animi sensus, sed versibus parum nitidis ac fluentibus.

N. 24. *Incendium*. Narratio satis elegans de vetula, quae in quadam regni Serbiani convalle degit, et cuius tugurium per explosum globum bellicum incenditur. Ambas e periculo miles eripit, qui, absolo bello, puellam dicit uxorem.

N. 15. *Fiat pax*. Non hic pax describitur nuper sancita, sed quae ante recens bellum florebat. Strophae sapphicae, quibus utitur auctor, recte construuntur, neglecta tamen aliquando caesura. Planius etiam quam altius sensus animi exprimuntur.

N. 28. *Super invasione Belgii*. Ode longissima versuum CDLX, qui vehementius quam robustius efferuntur. Politior etiam desideratur forma.

N. 12. *Pro pace exoptata*. Carmen hoc iucunde legitur; sed nonnumquam affectata videtur dictio. Optime exprimitur spes fore, ut Benedictus Pont. Max. pacis arbiter exsurgat.

N. 13. *Incursio Hellespontica*. Describitur audax facinus, quo, anno 1912, velociores aliquot Italorum naves in Hellespontum penetrarunt. Narratio feliciter stylum epicum imitatur; poterat tamen altius assurgere.

N. 29. *Colloquia Elysea*. Plato, Xenophon, Vergilius et Donatus apud inferos de collabentibus studiis litterariis disserunt; hicque collapsus, ex auctoris opinione, Germanis debetur. Satiram ille scribere voluit, quae tamen modico sale et lepore aspergitur.

N. 27. *Septuagenarii meditationes*. Senex ille exactos respiciens annos, eosque prospiciens qui superesse poterunt, carmen effundit tranquilla pace serenum. Uniformitate tamen laborat.

N. 25. *In coenobii reliquias*. Describit poeta aedes, nunc a militibus occupatas,

quum antea sedes esset sanctimonialium, quarum ipse religiosos olim hymnos libens audiebat. Recordatur imprimis notae sibi puellae, solitudinis amantis, quae ibi sacram velum accepit. Huius rei memor, vidensque nunc sexum femineum, vitae publicae et libertatis haud raro plus aequo amantem, sic exclamat:

*Tempora mutantur; poscunt sua iura puellae.*

Quem versum censurex eximie laudant, horumque similes plures adesse voluiscent.

N. 6. *In obitum matris dulcissimae*. Haec elegia eleganter describit obitum matris, absente filio; revocatque in mentem clausulam, qua Tacitus Vitam Agricolae absolvit.

N. 26. *Funera*. De hoc carmine iudices in diversas abiere sententias; eorum unus animum illi vimque inesse putabat; ceteri vero duo censuerunt illud non sine taedio perlegi posse.

N. 11. *Iesum puerum Maria quaeritans*. Bonum carmen, quo nitidis depingitur distichis Mariae de latente Filio dolor maternus.

N. 7. *Ecloga Hebraea Ruth*. Prolixa narratio; cuius tamen versus, facta aliqua exceptione, merito laudari possunt.

N. 32. *Iulus Sabinus et Epbonina*. In hoc poëmate, omnium longissimo (nam constat versibus DCXLV), agitur de Iulio Sabino qui, a Vespasiano devictus, plures annos cum uxore in monumento sepulchrali delituit. Epicum in his versibus stilum auctor imitatur, nec sine laude; ubi tamen aliquot in prosodia menda occurunt.

\* \*

Nunc tandem veniunt carmina V, quae, ex censorum iudicio, omnino digna habita sunt, quae sumptibus Hoeufftianis typis mandarentur. Sunt autem:

N. 17. *Epistola senis ad iuvenem*, quae in nostro Commentario, sup. mense Iunio,

inserta fuit. In ea iudices vivacem alacritatem agnoverunt, optimis, ut aiunt, versibus expressam. Eius auctor est socius noster, sacerdos Congr. SS. Red., Franciscus X. Reuss.

N. 22. *Pax natalicia*. Opus Francisci Sofia-Alessio, quod similiter mense Iulio in nostro Commentario est evulgatum. Auctor redditum describit militis, patris familias, ad uxorem et filios. Haec peculiaris ei tribuitur laus, ut aequa felicitate varia versuum genera tractet: hexametros, distichos, asclepiadeos et dimetrum iambicum.

N. 20. *Lygdus ad matrem*. Auctor carminis est Antonius Faverzani. In eo inducitur miles qui, reperta inter belli casus egregia puella, casto in eam fertur amore eamque uxorem ducere exoptat. Haec omnia matri fatetur versibus lectissimis.

N. 19. *Mundi Creator*. Dolendum est, auctorem huius carminis latere voluisse. Quare et carmen a iudicibus non insertum est inter laudata hoc anno poëmata. In eo, uti censurex pronuntiant, elegantia et robur Horatii optime consociata sunt cum decora simplicitate hymnorum mediaevalium.

Dicere tandem superest de n. 35, qui *Vercingetorix* inscribitur, auctore inique habet Iosephum Albini. Hoc in carmine, fulgidis primum depingitur coloribus celebratissimi illius Gallorum ducis gloria militaris, quae etsi brevis, immortale tamen ipsi peperit nomen. Inde voluntaria describitur ducis deditio in Caesaris potestatem, dura captivitas et postremo crudele supplicium; cui tamen fama alluxit, quam clarum eius facinus apud posteros esset habitura, quodque felicius aliquando iteraretur, uti nuper vidimus, apud Matronam et Axonam flumina. Hanc auctori iudices laudem decreverunt, eius hexametros haud raro videri e Musa profluxisse Pascoliana.

A. R.

## EX ITALIS URBIBUS

### Actuosa Taurinensis vita.<sup>1</sup>

Nunc tandem officinas introgredi licet. Adest in ipso aedium vestibulo, ianitor, qui haud personae suae nescius, hospites tamen introeuntes comiter monet, ne quis adeat sine superioris licentia. Hunc propterea ego recta, uti loci peritus, alacer adivi, qui post brevia salutationis verba, quem iam antea de meo adventu scriptis monitus fuerat, me, ceteris omissis, optime magistro operum commendavit.

Quum primum in magnum artificum conclave sum denique ingressus, et multiplicem rerum varietatem illico admiratus oculis adspexi, animus:

stupet,

*Obtutuque, haeret defixus in uno!*

Qui rumor, qui, veluti serrarum, acutissimus strepitus! Quot rhombi, qui aquae vi evaporatae acti, velocissime circumaguntur, filumque torquent pannumque eundo breviter conficiunt. Quot fusi unius prope puellae manu rapidissime currunt! Quapropter, vel pro re nata, mente volutas illud Vergili:

*Talia saecla suis dixerunt, currite, fusi!*

Quot enim miracula sunt ingenii, quot adsunt praela textrina atque ostrina, quae etiam nonnulla haud iam nostris temporibus nova, in dies maiora fiunt.

At quo artificio, qua perfectione omnia aguntur!

Omnes hi rhombi ita sunt per ordinem dispositi, ut quindecim saepe et amplius ex una parte totidemque ex altera, magnifice atque vicissim ad opus perficiendum conspirent.

<sup>1</sup> Cf. fasc. VIII-IX.

Ars autem occulta, seu aqua evaporata, quae merito quasi Deus ex machina vocanda esset, magnis procul dubio ahenis recepta, secretis flammis efficitur. *Vulcanus* utique ardens *urit officinas*. Ignis novus alitur, qui non amplius ligneis carbonibus excussus, sed, mirum!, ex lapidibus, atque adeo lapideus advocatur. Hic enim carbo, profundissimis e foveis effossus, calorem in immensum excitat, et nullo sane labore aquam in vaporem redigit atque ita omnem rotarum compagem movet, et mira celeritate rhombos fusosque agit. Hinc factum est ut improbam tot rerum molem moveat saepe infirma corporis puellula, quae insuper omnis artis difficilioris expers, at una hac maxime calleat, omniaque uno temporis momento ad finem ultimum ducat, quae patres nostri, viribusque simul collatis, vix per hebdomadam conficerent.

Olim passim per compita homines effutiebant: «Optimum quodque et cito rarissimum est!». Et nostra aetate, parvula haec gens, quum minima breviter gerit, inane hoc veterum placitum esse praedicabunt. Ex eius enim manibus opera mirum in modum perfecta proficiscuntur, ut nihil supra, atque in immensum aucta. Liceat, mihi haec levia scribenti, elegantissima Vergili carmina auspicari, quibus in secundo *Georgicon* libro magnifice poeta laudat *balsama sudantia odorato ligno*. Postquam enim alia obiter delibavit, admiratus, magno ore conclamat:

*Quid (referam) nemora Aethiopum molli canentia  
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres!  
Aut quos Oceano propior gerit India Iucus,  
Extremi sinus orbis, ubi aera vincere sumnum  
Arboris haud ulla tactu potuere sagittae?*

Quod olim raro, quodque imperfectum, et quod remotissimi modo populi summo studio atque artificio conficere consueverunt, id utique et perfectiorem in modum atque ocissime recentiores obtinent. Namque in amplissimo conclavi inter machi-

narum flagitium, sericum cum lana amice componitur, telaque inde texitur, qua egregie serica vestis in speciem falso conficitur. Sic matronae in urbibus superbe induitae incedunt.

Hic quoque gossypium intexitur in tunicati popelli commodum. Haud ita multo ante, priusquam scilicet tetricum bellum exardesceret, quod universas terrarum gentes vexavit, harum mercium genus ad Asiae plerumque portus maris Aegei ferebatur, et magno rerum motu pecuniaeque incremento veniebat. Nunc vero Turcae imprimis Italiam timent, eiusque merces spernunt.

At, prae ceteris Italici ingenii laudibus, in reposito conclavi purpureus pannus, damascenus qui dicitur, late qui splendeat miro artificio, assuitur, et indumenta novis texuntur plumea telis, in beatiorum hominum potissimum usum. Ad haec, ut omnia persolvam, paullo ante, humilis quidam pannus parabatur cinerarius, qui, in bello, pro militibus potissimum adhiceretur.

Quot enim machinae, quot rotae ad huiusmodi opera velociter volvuntur!

Ut vides, hic omnia, incopta a re rudi adhuc omnino atque imperfecta, ad finitissimum opus progrediuntur, et diebus modo festis exceptis, nullo interposito tempore, omnes ad eundem laborem impigre incumbunt.

At optime subdis: - Hi omnes quanam mercede remunerantur? Recte ais, et responsum in promptu habeo. Rem prope incredibilem, sed verissimam narro. In praesentiarum vel ineptissimus vir suas sibi meritas accipit sex aut septem libellas; et qui supereminet, vel quindecim aut viginti quotidie libellas meretur. Haec aurea nostris vere nascitur operariis aetas! Ipsi sunt suaviora altilia in foris, ipsis luxus immanis in vestibus. Martialis, qui olim de advocateorū familia scribens facete dixit: «Haec sapit, haec omnes fo-

nerat una deos» seu divitias; quanto verius atque aptius de operariis nostrae aetatis diceret! Attamen nullam in terris miseriorem nationem invenio, etiamsi in divitiis affluentem. O fortunati nimis, sua si bona neverint artifices! At, paucis exceptis, qui bonis moribus vitam agunt et religionem colunt, pessimo quodam tormento multi vexantur, quod veluti vermis eorum viscera rodit atque ad ultima quaeque trahit. Adest enim in ipsis societas quaedam, quae nefario sacramento neque iam occulto initiata, sed palam atque in omnium luce versatur, per fora et per conciliabula volitat, vel in aedibus regali prope opulentia constructis habitans, coniurata veterem compagem vexat, qua civilis hominum consociatio continetur. Ipsi suos conferunt et qua maxima possunt impietate molestant atque contundunt. Mirum feritatis ac saevitiae documentum!

Vah! apage a nobis huiusmodi gentium vituperium ac damnum; vera societatis humanae pestis omniumque artificum pernicies!

Ipsi, insano vero vocabulo, aedes, quas incolunt, domum operis appellant: otii hanc potius dices; quoniam hinc sollemniter ac praetoriana auctoritate otium suis imponunt, quod *sciopero* italice vulgo nuncupant, et ipsi, velint nolint, nimio timore perterriti, licet tantum facinus indignati, ne peius eveniat, ab omni opere, eorum nutu, fremebundi abstinent. Namque semel atque iterum, brevi temporis intervallo, opifices officinae, de qua hic sermo est, gnavi plerumque ac diligentes, vel diebus *otio* assignatis, operi incumbere cuperent; at improbae societatis impotentia adstricti, ab opere recedere illico debent; quum sit periculum in mora, ne violenter, vitreis fenestris in viam versis penitus contractis, lapidibus et ipsi vi obruantur.

Quid dicam? Ut nihil est in terris

melius Deoque acceptius quam populus bene moratus et divinis legibus fidissimus, sic nihil peius atque hominibus horribilis, quam gens malo pravoque consilio instincta moribusque perversis. Ac propterea immensa malorum colluvies nostris mortalibus imminet, neque eam a se pelere poterunt, nisi ad sancta ac divina consilia redeant. Faxit Deus, ut nostrae aetatis homines, divinis tandem oraculis deterriti, neque adversis populorum studiis retardati, in religione unice colenda, in ipsis molestiis et periculis placide conquiescant!

Sic omnis operariorum quaestio, quae intelligentiorum mentem tamdiu torquere consuevit, tranquillatis animis, ad portum tandem salutis, gratulantibus undique gentibus, introgredi poterit.

SUBALPINUS.

## COMMUNIA VITAE

### De valetudine percontatio Morbi - Medicamenta.<sup>1</sup>

Otorrhea.<sup>2</sup>

Cereus cumulus in auribus congestus.

Hebetiores aures factae sunt. - Gravior mihi est auris. - Hebetior auditus est. - Exsurdesco(Obsurdesco). - Audiendi sensu paullatim careo.

Morbus me exsurdavit (surditate affectus). - Mihi surditatem attulit (induxit, creavit, inflxit). - Mihi auditum (audiendi sensum) abstulit.

Iam surdo loqueris (Surdis auribus canis).

Tristes incesserunt dermatis (pellis, cutis) morbi; intercutanei morbi.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Cfr. num. sup.

<sup>2</sup> Humorum non intermissum effluvium ex auribus.

<sup>3</sup> Quum inter carnem et cutem sunt.

Vellicatio (Vellicatus).<sup>1</sup>

Furfur.<sup>2</sup> - Alopecia.<sup>3</sup> - Caput glabre-  
scit (glabratum, glabrum redditur [fit]).  
Achores (Favus, Cerion, Ceriae, Sapha-  
tum).<sup>4</sup>

Porrigo (Epityriasis, Epityra).<sup>5</sup>

Ozaena<sup>6</sup> - Erysipelas, ātis (Phyctaena,  
Phycitis).

Paronychia (Panaricum).<sup>7</sup> - Pernio,  
ōnis (Pernium, Chymethlum).<sup>8</sup>

Steatoma.<sup>9</sup> - Verruca (Verrucula)<sup>10</sup> -  
Naevus (Naevulus).<sup>11</sup>

Callus (Callum, Morticinūm).

Lichen. - Mentāgra. - Impetigo.<sup>12</sup>

Stogma. - Petimen. - Ignis sacer.<sup>13</sup>

Hyperydrosis (Nimius sudor). - Copio-  
sius (largius) quam ut par est, sudo (exsudo).  
- Undique sudore mano (fluo). - Sudore  
difflo (profluo).

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Frequens et carptim pellis pruritus.

<sup>2</sup> Capitis vitium, quo velut farinae foecae purgatur.

<sup>3</sup> Capillorum profluvium ex vitiosis humoribus.

<sup>4</sup> Ulcera foetida manantia e cutis capitis tenuis-  
simis foraminibus.

<sup>5</sup> Capitis cutis furfuraceis squamis foeda; vulgo  
tigna.

<sup>6</sup> Ulceratio in naribus profunda, foetida.

<sup>7</sup> Abscessus circa radices unguium. Italice *pan-*  
*reccia*.

<sup>8</sup> Manum et pedum congestio ex nimio frigore. Italice  
*pedignoni, geloni*.

<sup>9</sup> Parvus tumor foris in corpore apparet, pin-  
guem intus materiam continens „saevo similem. Ital-  
ice (et latine interdum) *natta*.

<sup>10</sup> Caruncula in corpore eminens; unde *verrucosus*  
qui multas per corpus verrucas habet. Italice *porri*;  
qui si in manibus, *acrochordones* dicuntur.

<sup>11</sup> Macula genitiva corporis. Italice *neo*.

<sup>12</sup> Lichen est papularum eruptio cum sensu asper-  
titatis ac pruritus; mēntagra purpureus est morbus a  
mento incipiens (unde nomen) ex lichenum genere;  
impetigo eruptio est pustularum cum crustis.

<sup>13</sup> Stogma bullae dicuntur rubri coloris per  
corpus disseminatae: petimen vesciculae coacervatim  
dispositae (Italice *erpete*); ignis sacer petiminis genus  
est, vulgo *zoster*, sensum fere ignei caloris afferentis;  
unde nomen.

## ANNALES

### Concilium Parisiense de pace.

Ad augendam Parisiensis de pace concilii moram accessit nuper Wilsoni praesidis infirma necopinato corporis valetudo. Qui quidem dum peregre maximas septentrionalis Americae civitates visitat, ut populo persuadeat ratum habendum esse pacis foedus Germaniae impositum, acriterque ab Americano senatu oppugnatum, improviso morbo icitur, cuius natura apud vulgus latuit, sed gravitas facile apparuit suspensosque omnium animos reddidit, atque tenet adhuc. Nihil igitur de Flumano discriminé ulterius actum; quinimo de praecipuis quaestionibus solutionem exspectantibus. Interim vero Italicus rex, legatorum popularium coetu, uti in superiori fasciculo diximus, dimisso, per regia decreta foedera cum Germania et Austria confirmavit statimque captivorum restitutionem inicit; confirmaveruntque pariter et Gallicus popularis coetus - (nondum vero Senatus) - et Anglicus.

### Ex Germania atque Russia.

Cuius Germanici foederis vi, quae copiae Balticas regiones occupant adhuc, Curlandiam, Lituaniam, Estoniam, Lettoniam, iussae sunt intra Germaniae fines se recipere. Huiusmodi vero decretum frustra editum est; milites enim quominus oboedirent recusarunt, neque satis constat utrum Von-der-Goltz ipse, qui iis praeest, reipublicae suae administratoribus morem sit gesturus. Certe, pars militum suorum, ad centum millionum numerum, protestati sunt sese in iis locis mansuros, ut sub Russorum signis contra Bolshevikos pugnant.

Qui profecto magna undique clade affetti videntur: Cronstadt enim oppidum

nunciant tormentis bellicis vehementer verberatum, deditiois vexillum extulisse; et Judenitch ducis agmina ad Gatchina et Pskow procedere, quin etiam ad Petropolim urbem iam appropinquare.

In orientali quoque Turkestan Lenini milites magnam ruinam passi sunt; immo etiam dictitarunt circa Omsk urbem turmatim cum armis et impedimentis suis in deditioem venisse; ceterasque copias, ad Caspii maris occidentem distributas, absque subsidiis remansisse, ita ut impossibile iam iis factum sit renixum aliquod civilibus hostibus opponere. Si igitur vera sunt exposita....

Ceterum omen est proferendum, fore ut quamprimum apud infelicem Russicam gentem ordo restituatur; quod bonum faustumque universae quoque Europae evadet.

Kalendis Novembribus MCMXIX.

POPLICOLA.

### VACUI TEMPORIS HORA

Quae «de felium maumatu» in superiore huius anni fasciculo VIII-IX scripsi, novam, eamque gratissimam, socii cuiusdam - ecce «anonymum servavit»? - cum menstruo labore meo participationem attulerunt. Cuius quidem animus a *Miaoo!* illo commotus, per quem et muribus insidiandi felium desiderium significari patefaciebam, atque timens ne mures illum gematum audientes fugam capessere possent, **muscipulae usum** potius suadebat, quinimo et machinulae ipsius descriptionem mihi offerebat, quam apud Ferrariorum opusculum *de florum cultura*, iam a saeculo XVII editam invenit.

Clarissimo viro obiicere satis foret, ita surdos musculos apparere, qui quotidie tanto numero a felibus vorentur; sed ne eleganti latina pagina ad me missa lecto-

res fraudem, eam ipsissimis verbis referam. Est enim prouti sequitur:

«Tabellis plerumque fagineis curiose laevigatis in capsulae, seu domunculae oblungae modum (muscipula) compingitur facie quadrangula. Tabellarum altera pa-

vimenti loco supposita ternas suffulcit erectas in parietes, et nonnihil prominet in gradum; altera lacunaris instar superposita modice porrigitur in subgrundas. Ostiolum claudit cataracta sine foris pendula, quae geminos utrinque ferreos annulos tenuissimis e ferro clathris insertans brevi lino de longiusculo vecte ceu tolleone suspenditur. Vectis hic ab ea parte, qua cataractae adnectitur, crassior, paulatim ita gracilescit, ut in mucronem designat. In media superiore tabella defixus eminent cuneus bifurcus, qui vectem ferreo filo traiectum ideo intercipit, ut ille susque deque versatilis cataractam attollat atque deiiciat. In eadem extrema tabella, sub extremo vectis mucrone, foramen ferream lineam transmittit transversae foraminis ferreae lineolae ad retinaculum circumvolutam, nec non summa parte redundam, ima hamatam, ut superior uncus extremo vecti cataractam attollenti leviter haereat, inferior hamus escam tenaciter teneat; quam ubi subrepens musculus avide ac mordicus arripit, repente reducto superiore retinaculo cataractam in suam deicit ruinam, incautaeque gulæ reus popinam sibi vertit in carcerem, mox geniali ac lubidundo carnifice fele, ridiculum saltuatim supplicium luiturus».

Haec, inquam, *anonymus* meus; qui profecto «bibliothecae mus» est; caveat ideo, ne ipse in huiusmodi vel alias generis muscipulas incidat!

\*\*

Idque eo magis quod a genere ani-  
mantis proculdubio differt, de quo praete-  
rea is me interrogat, an sciam quomodo  
vulgo uno nomine nuncupetur, atque legit

apud P. Bidermanum in libro III *Acroas.* (VI, 65): « Novum belluae genus – ita ille scriptor – patrum memoria Lusitani in India reperere: ferum cui ab se ipsa inde leque nomen *Pigritiae* indiderunt. Quo quidem nullo nomine alio rectius insigniri monstrum id potuisse mox intelligitis. Eam enim feram scribunt lento ventris adipe humum verrere, et ingluvie praepinguem nunquam in pedes assurgere; denique vel assidue reptando tam lente segniterque moliri, ut ipsis quindecim diebus continuo motu ad teli iactum peregre progrediatur, interim urgeas licet, minisque in excitanda torpedine assiduis instes; fatigari te quidem aiunt posse, belluam vero digitum unum promoveri non posse. Quod si plagas postremo fustes que lateri impingas, si tundas ibidem et contundas, negant aliud lucri te reportatum, quam ut, ingenio suo tardam, artificio tuo reddas tardiorum ».

Fateor me imparem ut requirenti humanissimo morem geram, remque destricandam lectoribus relinquo; unum addo – (et ipse enim bibliothecarum pulvarem interdum averro) – in **animal** hoc **quod a Pigritia dicunt** me iampridem incidisse, apud Maffeium scilicet, qui in historiarum Indicarum libro altero, haec de eo, quin immo luculentius, scribit: « Valde etiam inusitata et effigie et natura est animal, quod ab re ipsa Lusitani *Pigritiam* appellant, cerigonum fere magnitudine, sed rostro foediore ad aspectum, et unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus. Huic ex occipito existens coma cervicem velat, lenteque ipsa ventris adipe verrit humum, neque unquam in pedes exsurgit; denique tam tarde movetur, ut quindecim ipsis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. Vicitat arborum foliis, et in earum cacuminibus degit plerumque; quorum in ascensu biduum circiter, tantundem in discessu ponit. Neque vero adhortationibus tantum, aut minis, sed ne pla-

gis quidem fustibusve bestiam vel tantillum de insita ignavia ac tarditate dimovreas ».

Dummodo ne scriptores, quos memoravimus, continua usi sint translatione ad homines quosdam, ex genere discipulorum praesertim, significandos!...

\* \*

### Iocosa.

Ad cauponam.

- Heus tu, puer, pullus hic, quem adduxisti, coctus ne est Roëntgenis radiis?
- Scilicet?...
- Nihil enim de eo praeter ossa percipere datur.

Tuccius in scholam rediit, atque magistro ex discipulis singulis aetatem percontanti prompte respondet:

- Superiore anno annos duodecim numerabam; hoc igitur undecim.
- Quid computationis est istud?
- Nonne pluries negligentiam meam increpans ipse adnotasti, me iam annum perdidisse?

\* \*

### Aenigmata.

I

Motu reddo pedes agiles, et pectus anhelum,  
Pallentesque rubro spargo colore genas.  
Vertice me truncas? Proh! belua fio tremenda,  
Inque viatorem dente minace ruo!

II

Dic mihi quae fuerit quondam ditissima navis,  
Sola quae vexit totius orbis opes.  
(Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sita his respondent: 1] *Si-non*; 2] *Vesta-lis*).

IOSFOR.

## CORALIUM

Carmen FRANCISCI TRANQUILLINI MOLTEDO.<sup>1</sup>

Exiguae mentita dein primordia vitae  
E scopulis caput arbor agens inolescit hone-

[stum:

Luxuriant persaepe levi sudantia libro  
Brachia; et alba sinus, faciemque simillima

[flori,

Gemma maritat hians lacrymis post terga vo-  
[lutis.<sup>2</sup>

Arboris haec nova iampridem portenta vo-  
[cantes

(Ridet enim ceu mille gerens radiata sub undis  
Ora) maris Graii *pupillam* dicere gaudent.<sup>3</sup>  
Aequoreum sed item fruticem non occult

[omne

Littus alens: modo sponte valet, modo ferre  
[recusat.

Qua Libya siccis squalent magalia terris,  
Herculeo claudente freto, pars maxima, Syr-

[tim

Ad geminam serpunt, umbris tectura nepotes,  
Non centum si cymbae instant, non brachia

[mille.

Sardonii tum orae gaudent Siculique tulisse  
Littoris, inque sinus qua Cyrne frangitur om-

[nis,

Et longe rubeas quae tingunt marmora arenas.

<sup>1</sup> Cfr. fasciculum superiore; ubi vero in paginæ dispositione error intercidit. Etenim post versum:

*Subiicit atque humor placide per membra recurrit,*

versus integræ unius *columnæ*, quam dicunt, praetermissi forte sunt. Benignus itaque lector, omissis versibus quinque, qui in superiore numero sequebantur, post versum illum ponat, quos hodie damus.

<sup>2</sup> Sunt haec Polyporum corpuscula, quae vulgo Corali lac existimatur. Horum specie deceptus D. Marsigli an. MDCCIII Plinii et Dioscoridis sententiam conatus est confirmare.

<sup>3</sup> Communius etymon habere dicitur a κούρα ἐν ἀλι quod in mari tondeatur. Nos aliud iuvat, nempe κόρη, (pupilla), quippe quod melius rei pretium præ se ferat.

Hic data, diversum quamvis in fenus, habendis  
Coraliis statio, faveant dum docta petenti  
Instrumenta, suas et lege vocentur in artes.

Hinc condenda ratis, cuius pars planior ima  
Vix natet, antennaeque breves tabulata fati-

gent:

Quo melius, dum fervet opus, pleno incita  
[velo

Aut subeat validis fluitans maris invia remis.  
Aurea non facta exsuperet testudine puppis

Costas, nec summo vigilent carchesia malo;  
Longa viae non ulla levans fastidia gaza,  
Aut operum impatiens vulgus comitetur eun-

[tem:

Ad mala non demum ipsa rudis, simul apta  
[labori.

Haec, ubi multa iugum demittunt strata viarum  
Ad pelagus, scopulique, dedit quos Vesvius,

[alti

Haerent obiectu laterum, vidisse iuvabit.  
Instat ubique novas studiosae operata iuven-

[tae

Dextra rates: sublatum animis pars robur  
[anhelis

Scindit, ferrata figit pars cuspidi clavos.  
Hinc alii costas ingenti murmure subter

Abiete contexunt: alii hinc rimosa suburunt  
Ligna pice, aut, currente rota, longo ordine

[tensa

Cannaba contorquent. Cymbarum iam adspice  
[quanta,

Composito passura maris cito tempore casus,  
Sylva viget completque vias, suetaeque labori

Turmae, vela simul, funes trochlea que tra-

[besque.

Et iam vix pelagus repetens tacitura sub  
[horam

Temporis aura monet verni dare vela: legendi  
Tum vero nautae, ardens quorum audacia

[frontem

Asperat impavidam; pariter, cui cura peculi,  
Navarchus, meliorque fides, de more legendus.  
Quisque suas pretii nauclerus foedere facto  
Nautarumque manus, et cymbas protinus  
[omnes]  
Armat, et in totidem, pepigit quae praemia,  
[spondet,  
Quaecumque incertum maneat fortuna peri-  
[clum.  
Nec mora enim: nunc tempus aquis, nunc  
[credere vento.  
Funibus arrectas aptant, plausuque faventum  
Lignorum subdunt lapsus per saxa carinae.  
Urget naucleri circum praesentia: vincla  
Stupea robusti cohibent hinc inde lacerti.  
Iam gemit axis humi fixus, trochleaeque te-  
[naci  
Fune negant cymbae redditum: subit illa, ru-  
[dentes  
Laxantur sensim, ac veluti clamoribus acta  
Scindit aquas, spumante salo, et prolabitur  
[undis.  
Disiunctis naves en adstant frontibus: armis  
Extemplo certant dapibusque onerare vicis-  
[sim,  
Quae fallant avidi tantum ieiunia ventris;  
Assae, nigra ceres, multoque foramine ofellae.  
Et viles, miseris solatia grata, phaseli.  
Interea gemino bis quinis remige nautis  
Foeta ratis; sortitus opus prius ipse maniplis  
Puppe magister adest; iuxta puer, ora magi-  
[stro  
Intendens, qui iussa ferat, vel iussa secundet.  
Aggressas paribus credas contingere naves  
Legibus hinc Capreas, saxa aut praerupta Mi-  
[nervae,  
Meta vocet quo lecta viae: sic ultro recusant  
Stare loco; tantus varios contemnere casus  
Ardor agit iuvenes. Et plenis iam omnia portis  
Gens studio visendi ineunt et littora complent,  
Commixtique viri plebi, puerique, senesque,  
Et largo fletu matres, trepidaeque sorores  
Prospiciunt, tacitamque premunt sub pectore  
[curam.  
Torquent huc illuc spumas, qua dona daturae  
Grata viae, qua dicta viris extrema, biremes.

Supplicis ecce autem ora gerens animumque  
[sacerdos  
Accedit, cuiusque vagi sub numine venti,  
Aequora ter dextra lustrans, in vota lacescit  
Ingerminata Deum, et sacra bona voce precatur.  
Arrexere animos nautae: navarchus ab ortu  
Nactus iter, lymphas euro mulcente secundo,  
Carbasa bina iubet dare vento, insurgere remis,  
Obliquantque sinus cymbae, celeresque ferun-  
[tur.  
Nunc omnes trepidare, manus attollere, et alta  
Voce sequi; littus vale, o vale clamat et echo.  
Nec non sollicita cum primum turma carina  
Abscessit, fugitque solum, per caerulea nautas  
Sub noctem patriae vincit pietatis imago.  
Littus amant, dextrasque sinunt constringere  
[remos  
Cautes principio: ante brevi discriminis auso  
Tentandae cymbae, pelago quam currere  
[aperto  
Praesidio valeant remi, ventisque feroce.  
Ergo Miseni faciliter ostia cursu  
Quisque studet, si cogat hiems, vel fata su-  
[persist  
Improvisa viae, demissa classe, magister.  
Hinc iter ingreditur coeptum, proramque sub-  
[urget  
Interior Prochytes ad saxa, sinumque Lucri-  
[num,  
Unde fretum spatio Prochytes aperitur iniquo.  
Aenariam laeva linquit, Literaque dextra  
Littora. Iam medio apparent ergastula fluctu,  
Infames scopuli, viduata haud sontibus un-  
[quam.  
Caietam, et latos, pelago torquente, recessus  
Anxuris effugient: superant tum littora Circes.  
Altera mox caecas Oenotris prodit arenas,  
Iampridem metuenda iugis, sparsaeque per  
[imas  
Parva Sinonia aquas, alta et Palmaria fronte.

(Ad proximum numerum).

<sup>1</sup> Intellige insulam Ventotene.

JOSEPHUS DR. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.